ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustri Viro D. Constantino Hugenio, Zuylichemii Dynastæ,
Ios. Smith S. D. P.

En tibi, Vir per-illustris, D. Christianum Otterum
Ragnetanum, quem antehac tibi visum meminisse potes, Mathematicum,
si quid ego judico, non ex vulgo, Mechanicesque Mathesi subservientis
peritissimum supra vulgus; cujus ego consuetudine, dum hic secessus
causâ latuit, sæpiusculè nec sine fructu sum usus. Horas aliquot
mihi impendit in Algebra, quam Cartesius nobis post Vietam dedit.
Rationes itidem delineandorum munimentorum compendiosissimas,
circinosque atque alia instrumenta, quæ a se inventa, nonnulla parata,
plurima affecta habet liberaliter ostendit. Cum Musices forte
et Poëseos vernaculæ injecta esset mentio, quam ille exactius quam
vulgo fit accentui adstringendam; nec Iambis tantum aut Trochæis
cum pluribus, sed et dactylis aliisque pedibus dimetiendam censet;
intelligeremque illum nunc excursiunculam ad vos parare, tuique
salutandi et super istis consulendi percupidum, subdubitare tamen
an seria tua interpellare auderet: Ego fidenter sponte mea litteras
obtuli, quibus fores ipsi Hugenianas reserarem. Ita enim affectum in
istud studiorum genus tuum mihi nosse videor, ut multum fallar nisi
unis litteris duobus gratum fecero, longè siquidem plura in recessu
noster habet quam fronte promittat. Quicquid tamen ejus erit, nihil
meæ erga te observantiæ, aut tuo in me affectui detractum velim.

Litteræ quas Gorissius mihi à te attulit fidem faciunt,
quam Batavorum oppido novâ nuper in speculâ pedes, oculosque nunc
etiam manum, calamum atque animum faventem verèque Batavum
prolixè probes. Elegantissimi carminis apographum Nob: Weldereno,
qui ista relligiosè colligit tradidi. Plures nostratium ejus sibi copiam
fieri deposcunt, omnes mecum gravitatem et argutias mirantur et
deprædicant. Nonnullos à scribendo deterrebit, video, tanti calami
splendor; alii, quos ardentius oestrum adflavit, ab eo animum sumunt,
magnaque laudis in parte ponunt Hugenio, Barlæoque ducibus jungi.
Novi, cui fistula antehac cerâ nunquam juncta fuit, cantare nunc
paratum. De Structura rectè mones. Et quid mirum summo
si nonnihil imum discrepet? Idea operis cum ipsâ structurâ sub

manu fere

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4519

manu fere nata est, tantus ardor architectos agebat. Primum de uno, mox de altero supra quod planities sterneretur tabulato, postremum et de gradibus ad latus, turriculae formâ, supra planitiem educendis deliberatum fuit; Quanquam vicino in muro incisum legeretur tralaticium illud: Qui struit in calle, multos p   Vox Bel-vedere, si ipsam spectes, politioribus Hetruscis nec olim probata fuit, neque adhuc satis, ut opinor, probatur. A Farnesio tamen, vel ante illum ab Italis, de nostro hoc prospectu usurpatam accepimus, ad exemplum illius speculae, puto, quam Romanum vulgus eâdem voce nominat. Voces ut nummi usu valent et placent saepe novitate.

Si scriptionem notasti? U pro V. ab Italâ, sed parum peritâ manu qualem in Italico epigrammate vidisti pictum, lapicidae erroris causa fuit. Error a pluribus pridem notatus, duarum apicum ablatione corrigetur.

Titulum, ad excubiarum stationem cuius superliminari impositus est referunt. Cum enim nuper omnibus excubiarum domibus suos titulos adscripsissent, et hunc veterem à lapideâ mole antiquarii nostri cognominationem adposuissent, plerique illo antiquato, hunc quo ista valli pars omnibus notuit substituendum, excubiariumque domui inscribendum judicarunt. Sed longior sum quam oportuit. Speculam ipsam propius aliquando et in illa temetipsum spectabis, spero. Interim vale, Vir Per-illustris, cum Nob: Constantino et reliquis Hugenidis multos in annos et nobis fave.

Scrib. Noviomagi. Pridie Nonas Januar: Jul: A° ☧ CIↃIↃXLVII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4519

Nobiliſsimo et Illustri
D. Conſtantino Hugenio, Equiti,
Toparchæ Zuylichemii, Celsiſsimo
Principi Arauſionenſi a Conſil. et
Secretis,

Amica manu.

Hagam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4519